Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

61

gratias referens. de compunctione predonum. magis quam de receptione
spoliorum. Iste igitur uir bonus cum in sancto proposito perseuerasset. tandem uoca-
tus a deo collectus est ad populum suum. recepturus amodo cum eis premia meri-
torum. De cuius glorificatione uisio talis apparuit. eadem qua defunctus
est die. Erat in quodam monasterio longius a claraualle remoto eiusdem
ordinis monachus quidam religiosus et magne opinionis uir. quem pro
sua sanctitate omnes sinceriter diligebant. omnes singulariter honorabant.
Hic igitur eodem die quo predictus frater mortuus est. et ipse moriens ad extre-
ma deuenit. Cumque iam morti proximus uideretur. raptus est ab
humanis. ita ut omni membrorum officio destitutus. a mane usque ad no-
nam iaceret immobilis. Tantummodo in pectore modicum spiramenti supererat.
quod eum a mortuo secernebat. Ita igitur a mane sicut iam dixi usque ad nonam
in extasi positus. tandem ad ipsum se reuertitur. et uirtute recepta lin-
gua iterum in uerba laxatur. Stupentes uero qui aderant. causam ab eo re-
pentine discessionis ac reuersionis efflagitabant. Quibus ipse re-
spondit. Hodie cum a sensibus corporis in spiritu subleuatus abstraherer.
inueni me subito introductum uelut in paradyso uoluptatis.
in loco glorioso atque preclaro nimis. cuius aptitudinem. pulcritudinem.
atque amenitatem. humani sensus angustia estimari non sufficit.
Ibi preciosa uasorum congeries atque ornamentorum. ibi infinita prepara-
tio deliciarum. quemadmodum solet fieri in aduentu cuiuspiam potentissimi
regis. aut imperatoris. Erant igitur sancti innumerabiles immensa gloria
choruscantes. quorum alii iam aduenerant. alii adhuc de cunctis partibus